



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd bini conuentus episcopales singulis annis fieri debeant. xliii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*De his qui promouentur ad episcopatum.
nec recipiuntur. Cap. XLI.*

Ex cōcil. Antio- che. cap. 18. **S**I quis episcopus ordinatus, ad parochiam minimè, cui est electus, accesserit, non suo vitio, sed quòd eum aut populus vetet, aut propter aliam causam, non tamen eius vitio perpetrata: Hic & honoris sit & ministerij participes, dummodo nihil molestus Ecclesiæ rebus existat, vbi ministrare cognoscitur. Quem etiam obseruare cōueniet, quicquid synodus perfecta, prouinciae iudicando decreuerit.

Quòd autoritas congregandarum synodorum apostolicae sedi commissae sit priuata potestate. Cap. XLII.

Cap. Isidori. 8. **S**YNODORUM verò congregandarum autoritas apostolicae sedi, priuata commissae est potestate. Nec vllam synodum generalem ratam esse legimus, quae eius non fuerit autoritate congregata vel fulta. Haec canonica testatur autoritas, haec historia ecclesiastica roborat, haec sancti patres confirmant.

Quòd bini conuentus episcopales singulis annis fieri debeant. Cap. XLIII.

Ex decret. Leonis papae ad Rusticum Episcopum Narbonen. cap. 37. **D**E conciliis autem episcopalibus non aliud indicemus, quam sancti patres salubriter ordinauerunt, vt scilicet bini conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quae inter diuersos Ecclesiae ordines nasci assolent, iudicetur. Ac si fortè inter ipsos qui praesunt de maioribus, quod absit, peccatis causa nascatur, quae prouinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate metropolitanus curabit instruere: vt si coram positis partibus, nec tuo fuerit resopita iudicio, ad nostram cognitionem quicquid illud est, transferatur.

De synodis quo tempore sint habendae. Cap. XLIIII.

Ex cōcil. Antio- che. cap. 20. **P**ROPTER utilitates ecclesiasticas & absolutiones earum rerum, quae dubitationem controuersiamque recipiunt, optimè placuit, vt per singulas quasque prouincias bis in anno episcoporum concilia celebrentur. Semel quidem post tertiam septimanam festi Paschalis, ita vt in quarta septimana quae consequitur, id est, medio Pentecostes cōueniat synodus, metropolitano comprovinciales episco-